



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXIV. Argumentum. Satisfactionis Sacramentalis materia in hac Decisione plenissimè declaratur. Traditur ipsius definitio explicans essentiam, & effectus ejusdem. De obligatione Confessarii ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94661)

num. 11. Navarrus de *Jubilao* notab. 10. num. 12. & Passerinus de *Indulgent.* num. 82. Culpa autem etiam venialis, non dimittitur, absque pœnitentia, ac dolore de ipsa. Idem Suarez disp. 11. sect. 1. num. 5. Eminentiss. Cardin. de Lugo de *Pœnitent.* disp. 9. sect. 2. à num. 12. Et hæc est causa, cur tot ac tantæ animæ Religiosorum, & Sanctimonialium
 25 legantur addictæ pœnis Purgatorii post mortem, quamvis pro eis perpetua Indulgentia plenaria concessa sit à Paulo Papa V. in articulo mortis in sua *Constit.* 21. quæ incipit *Romanus Pontifex.* Data sub die 23. Maii 1606. de qua idem Passerinus *quest.* 98. num. 861. Causa, inquam, hæc est, quod decedunt cum affectu, seu complacentia ad aliqua peccata venialia, vel circa proprietatem, vel circa propriam voluntatem, contra vota paupertatis, & obedientiæ; vel circa passionem immortificatam contra charitatem fraternam, aut amorem proprium; sive in diversis negligentis regularem perfectionem retardantibus, & ob has culpas, quas etiam veniales, non curarunt sibi dimitti ante mortem per pœnitentiam, detestationem, ac retractationem, obligantur post mortem, eas luere & quo ad reatum, & quo ad pœnam in atrocissimo igne Purgatorii, ut testata sunt plurimæ animæ Regularium utriusque sexus in earum apparitionibus, ad effectum obtinendi suffragia, Ven. Franciscæ à SS.
 26 Sacramento Carmelitæ Discalceatæ (quæ feliciter obiit Anno 1631) impressi Venetiis typis Stephani de Curtis Anno 1680. quas commentariis illustravit Illustrissimus, ac Reverendissimus Mendoza Episcopus Osmensis, ut recensui supra in hoc tractatu Decif. III. num. 13. & seqq. ubi de iisdem Religiosis animabus in Purgatorio detentis verba feci.

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Satisfactionis Sacramentalis materia in hac Decisione plenissimè declaratur. Traditur ipsius definitio explicans essentiam, & effectus ejusdem. de obligatione Confessarii circa impositionem Pœnitentiæ. Qualem, & quantam debeat imponere. Causæ, ob quas levis Pœnitentia pro gravibus peccatis potest injungi. Quanto tempore ejus executio possit differri. An adimplenda sit in statu gratiæ. Cur, Quomodo Quando, & à Quibus Satisfactio à Confessario imposita pœnitenti sit commutanda.?

SUMMARIUM.

- 1 Satisfactio est tertia pars materia Sacramenti Pœnitentiæ.
- 2 Satisfactio Sacramentalis quid sit? Est efficacior voluntaria.
- 3 Satisfactio in quibus operibus imponenda à Confessario?
- 4 Satisfactio an sit imponenda ante absolutionem vel post?
- 5 Confessarius an sit obligatus injungere Satisfactionem pœnitenti?
- 6 Debet esse verbum importans necessitatem.
- 7 Satisfactio omitti potest à Confessario in quatuor casibus.

- 8 Satisfactio quanta sit imponenda? Et qualis? num. 9.
- 10 Satisfactio an possit imponi in operibus de Precepto?
- 11 Eleemosyna pro pœnitentia an valeat, si fiat ob aliam obligationem.
- 12 Satisfactio an imponenda alternativè?
- 13 Prohibitio bonorum operum potest fieri pro satisfactione Sacramentali.
- 14 Purgatorii animabus potest applicari Satisfactio Sacramentalis.
- 15 Satisfactiones conditionales an imponenda à Confessario?
- 16 Pœnitentia publica an aliquando sit à Confessario imponenda?
- 17 Pœnitentia leves imponi possunt ob octo causas.
- 18 Verba Quidquid boni feceris ac mali sustinueris in absolutione quid operentur?
- 19 S. Franciscus Xaverius pœnitentiam exsolvit pro suo pœnitente.
- 20 Pœnitentia Sacramentalis quanto tempore possit differri?
- 21 An in statu gratiæ adimplenda?
- 22 Satisfactio Sacramentalis an possit commutari? & à quo?
- 23 Satisfactionis implementum omitti potest ob duas causas.

EX tribus Partibus materialibus, quæ simul cum forma absolutionis Sacramentum Pœnitentiæ componunt, hucusque explicatae sunt duæ priores, nempe dolor, seu contritio, & confessio peccatorum cum omnibus suis necessariis conditionibus, requisitis, ac circumstantiis. Restat modò, ut agamus de tertia, quæ est Satisfactio Sacramentalis. Pro intelligentia sciendum, quod homo dum peccat, remanet debitor Deo pro offensa mortali ad pœnam æternam solvendam in Inferno; pro veniali ad pœnam temporalem luendam vel in hac, vel in alia vita. Quando verò pœnitet se peccasse, & dolet vel perfectè cum contritione, & confessione in voto; vel minus perfectè cum attritione, & confessione Sacramentali in actu, Deus delet ei culpam; & commutat pœnam æternam in temporalem; nisi tanta sit ejus contritio, ut nullam temporalem pœnam amplius exigat Deus ab illo. Ab ipsa autem pœna temporali liberatur pœnitens dupliciter, vel per assumptionem voluntariæ pœnitentiæ, exercendo se in pœnalitatibus, jejuniis, orationibus, flagellis, ciliciis, eleemosynis, ac aliis bonis operibus, juxta suum proprium fervorem; vel per satisfactiones sibi injunctas à Sacerdote, cui confessus est sua peccata. De primo modo se liberandi à pœnis debitis pro peccatis egimus ab initio hujus operis à Decif. III. & seqq. in quibus explicuimus vim, & efficaciam afflictionum corporalium, voluntariè assumptarum; nec non sufferentiæ in penis illatis vel à Deo immediate, vel ab hominibus; quarum occasione in Decif. VIII. examinavimus, ad effectum satisfaciendi pro peccatis, An necesse sit patientibus mala, habere intentionem formalem, vel virtuales satisfaciendi; & utrùm oporteat, ut patiens sit in statu gratiæ, ac immunis à peccato mortali, ad hoc ut actus satisfactorii valeant, & suum obtineant effectum? quæ omnia, ne hic repetantur, ibidem sunt videnda. De secundo autè modo nempe de Satisfactione

Sacramentali agendum est in præfenti; & de ea examinabimus.

Primò. Quid sit satisfactio Sacramentalis?

Secundò. An Confessarius sit obligatus eam imponere Pœnitenti?

Tertiò. Qualis, & Quanta satisfactio sit ei imponenda?

Quartò. Quo tempore, & in quo statu sit à Pœnitente exequenda?

Quintò. An eadem satisfactio possit commutari? & à Quo?

Quo ad Primum. De satisfactione in genere disserimus supra in *Decis. IV.* ubi num. 1. diximus, eam esse redditionem voluntariam æquivalentis aliis indbiti; & num. 4. illam divisimus in Antidorem, quæ reponitur ex animi gratitudine pro beneficiis receptis, in Civilem. quæ exercetur inter homines in contractibus onerosis; & in Criminalem, quæ redditur alicui ob injuriam ei irrogatam, & sub hac specie venit Satisfactio Sacramentalis, quæ definitur, esse opus illud, quod Pœnitenti confessio imponitur à Sacerdote ante, vel statim post absolutionem, virtute Clavium, ab eodem Pœnitente exequendum. Dicitur satisfactio; quia homo post peccatum remanet debitor Deo pro offensa, & pro eadem debet satisfacere. Dicitur Sacramentalis ad differentiam satisfactionis voluntariæ, quam peccator pœnitentiæ causa spontè assumit; utraque enim satisfacit divinæ justitiæ, ac delet pœnam temporalem jam decretam pro peccatis; sed cum magno discrimine, nam voluntariæ satisfactiones delent pœnam ex opere operantis; satisfactio autem Sacramentalis ex opere operato, quod est dicere, hanc Sacramentalem, cæteris paribus, in non ponente obicem, remittere majorem partem pœnæ, quam remittat voluntaria, ut docet Palaus tract. 23. disput. unic. punct. 21. §. 2. Filiucci de Satisfactione Sacramentali cap. 2. num. 33. & pluribus citatis Salmanticenses de Sacram. in genere d. tract. 6. cap. 10. num. 4. Uterius hæc satisfactio Sacramentalis confert gratias prævenientes, ac auxilia divina, quibus pœnitens magis juvatur, ut in posterum fugiat peccata. Suarez de Pœnitent. disput. 38. sect. 2. num. 3. Palaus d. punct. 21. num. 4. Ac etiam secundum plures DD. causat augmentum gratiæ habitualis ex opere operato. Cajetanus in 3. part. quest. 90. art. 2. Candidus. Disquisit. 24. art. 30. dub. 4. Suarez disp. 33. sect. 2. Diana part. 3. tract. 4. resol. 70. impressa in Coordinato tom. 1. tract. 6. resol. 34. latè Salmanticenses, qui argumenta pro utraque opinione, ac Auctores referunt d. tract. 6. cap. 10. a num. 8. & seqq. Dicitur in definitione esse opus illud, quod Pœnitenti confessio imponitur; quod quidem opus potest esse de illis omnibus, quos abundè declaravimus à *Decis. IV.* usque ad *Decis. X.* ubi docuimus, omnes actus satisfactorios reduci ad tria genera, nempe ad jejunium, ad orationem, & ad elemosynam. Nomine autem jejunii intelliguntur quæcunque pœnalitates tum corporis, tum animi, sive à pœnitente sibi ipsi infliguntur, sive à Deo immediate immittuntur, sive à creaturis illatæ; appellatione verò orationis veniunt omnes actus virtuosus sive interni, sive externi, v. g. fidei, spei, charitatis, humilitatis, & similis sub titulo autem elemosynæ comprehenduntur omnia opera Misericordiæ tum corporalis, tum spiritualis, & hi omnes actus possunt injungi pœnitenti pro satisfactione Sacramentali, ut demonstrat ex auctoritate Concilii Trid. sess. 14. cap. 8. sacrorum Cano-

num, ac Doctorem Eminentiss. Cardin. de Laurea de Pœnitent. disput. 22. art. 5. per totum. Dicitur à Sacerdote; quia si opus eligeretur pro satisfactione ab ipso pœnitente, valeret quidem ad deletionem pœnæ temporalis, sed non esset pars Sacramenti Pœnitentiæ, neque deleter tantam pœnam, neque produceret alios effectus ubiores in anima pœnitentis ex opere operato, de quibus diximus supra; siquidem spectat ad Sacerdotem tanquam judicem imponere opera satisfactoria in vindictam culpæ, cum ejus sit absolvere à culpa, & pœna æterna, & ligare ad pœnam temporalem. Concil. Trident. d. sess. 14. can. 13. & habetur in cap. Ab infirmis, cap. Temporalia. & cap. De his. 26. quest. 7. Dicitur ante, vel statim post absolutionem, quia utroque modo sufficit ad integritatem Sacramenti. De primo nempe quod Sacerdos ante absolutionem imponat pœnitentiam, seu satisfactionem pœnitenti, ut ab omnibus prudentibus Confessariis practicatur, est textus in Clement. Dudum. De Sepultur. ubi dicitur: Sacerdos confessiones audiat, pœnitentias imponat, & absolvat. De secundo, quod sufficiat etiam satisfactio nem injungere statim post absolutionem, facit cap. fin. de Censib. in 6. ubi Papa ait: Archiepiscopus dum visitat, potest confessiones Suffraganeorum subditorum audire, ac absolvere pœnitentes, & ipsis pœnitentias injungere salutaris. Melius tamen est juxta praxim Ecclesiæ, ut ea imponatur ante absolutionem. Sylvest. V. Confessor. in princ. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. num. 42. & ibi DD. Dicitur virtute clavium, id est jurisdictionis, quam exercet in foro interno Sacerdos Confessarius, & quæ venit sub nomine Clavium Ecclesiæ, ut scripsimus supra *Decis. XIX.* in qua sub num. 30. ostendimus, Claves in Sacerdote audiente Confessiones esse duas, unam Scientiæ, quæ potest interrogare pœnitentem de numero, ac circumstantiis peccatorum; & alteram Potentiæ, quæ valet eum obligare ad acceptandam pœnitentiam, seu satisfactionem præstandam pro peccatis, & subindè ab iisdem illum absolvere. Tandem dicitur in definitione quod prædictum opus à Sacerdote injunctum est ab eodem Pœnitente exequendum; tum quia Pœnitens, si vult absolvi, non potest recusare satisfactionem à Sacerdote injunctam; tum etiam quia eadem est necessaria vel in re, vel in voto, tanquam pars Sacramenti Pœnitentiæ. Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. tum etiam quia non solum concurret ad deletionem pœnæ temporalis, sed etiam ad gratiam, & justificationem ipsius pœnitentis, ut ex S. Thoma in 4. dist. 16. quest. 1. questum. 2. ad 3. docet Suarez disp. 38. sect. 2. & in terminis Eminentiss. Cardin. de Laurea d. disp. 22. art. 9.

Quo ad secundum. Si querimus, An Confessarius sit obligatus imponere satisfactionem Sacramentalem Pœnitenti coram se confessio? Respondetur regulariter, & per se loquendo affirmativè, tum de jure antiquo, ex cap. Tempora. cap. Pœnitentibus. cap. Sacerdos. cap. Pro qualitate. 26. quest. 7. cap. Mensuram. De Pœnitent. dist. 1. cap. Omnis utriusque sexus De Pœnitent. & Remiss. tum ex jure novo, ut in Concilio Tridentino d. sess. 14. cap. 8. ut in illis verbis: Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, pœnitentium, facultate, salutaris, & convenientes satisfactiones injungere. Certum est autem apud Jurisperitos, quod verbum Debet importat necessitatem. l. Sepè. ff. de Offic. Pra-

Præsid. Fagnanus in cap. *Qualiter* num. 37. ubi DD. de Clericis non resid. tom. 4. pag. 62. idcirco non est in facultate Confessarii eam omittre, sed de præcepto tenetur illam imponere, tum ex virtute Religionis, ne Sacramentum relinquatur imperfectum, ac mutilum sine satisfactione, quæ est ejus pars integralis. Concilium Trident. d. sess. 14. cap. 3. tum ex natura judicii, & potestatis suæ judicialis, quæ requirit aliquam punitionem delictorum; tum denique ad medelam pœnitentis, ut scilicet Confessarius, qui erga eum fungitur etiam officio Medici, imponat ei pœnitentiam ad effugienda de cætero eadem peccata; quare si deficiat injungere satisfactionem, peccabit mortaliter, ut tradunt Paulus tract. 23. disp. Unica punct. 21. §. 2. num. 6. Joan. Sancius in Selectis disp. 15. num. 14. & 17. & Salmanticens. d. tract. 6. cap. 10. num. 18. Qui declarant, hoc procedere, ubi confessio esset de peccatis mortalibus non antea confessis; secus si fuisset de solis venialibus, vel de mortalibus sæpe antea confessis; tunc enim Confessarius omittens dare pœnitentiam, peccaret tantummodo venialiter; ut opinantur Eminentiss. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 25. num. 47. Diana Coordinatus 1. tract. 6. resol. 5. excerptæ veteri part. 6. tract. 6. resol. 44. ea ratione, quia sicut levitas pœnitentiæ excusat pœnitentem, eam non recitantem à mortali; Palus d. punct. 21. §. 4. num. 9. & Diana d. resol. 44. §. 3. ita eadem levitas satisfactionis debet excusare Confessarium, eam injungere omittentem. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus Confessarius potest absque scrupulo absolvere Pœnitentem nulla imposita satisfactione. Primus est, si sit morti proximus, & destitutus sensibus, ut demonstravimus supra Decis. XXXII. nam si amissa loquela, & sensibus potest absolvi sine confessione. cap. Is, qui pœnitentiam. 26. quest. 6. multo magis sine impositione satisfactionis. Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 22. nam. 50. Est tamen verum, quod si potest loqui vel intelligit, etsi sit viribus destitutus, debet ei imponi pro pœnitentia saltem invocatio Sanctissimi Nominis Jesu; vel sufferre cum patientia dolores infirmitatis Palus d. disp. Unica punct. 21. §. 2. num. 7. Secundus casus est, si confitens sit Vir sanctæ vitæ, ac magnæ penitentia; tunc enim plures DD. videntur concedere, stantibus levissimis ejus culpis, ac posse Confessarium nullam ei imponere satisfactionem; sed hoc non placet Salmanticensibus, quia semper, quamvis levis, est injungenda aliqua pœnitentia ad integritatem Sacramenti; ut dicit. tract. 6. cap. 10. num. 22. Tertius est casus, si sit tempus Jubilæi, & publicata Indulgentia plenaria. Gobatus tr. 7. num. 744. Sed nec talis casus est admittendus, pro nullius satisfactionis impositione; bene tamen pro ejusdem exiguitate; ut dicetur infra num. 17. & advertunt Suarez disput. 38. sect. 10. num. 10. ac Palus d. tract. 23. disp. Unica, punct. 21. §. 2. num. 9. Quartus verò est casus, equidem concedendus, quem describit idem Gobatus d. tract. 7. num. 743. his verbis: Quando adolescentes, aut alii seu scrupulosiores, seu conscientiosiores Post impertitam absolutionem dicunt, se hoc, aut illud peccatillum oblitos, poterit Confessarius sine noxa impertiri absolutionem absque nova pœnitentia, extendendo ratiōem priorem etiam ad illud unum, aut alterum peccatillum; secus si ad peccatum mortale extendere solam ratiōem, seu in animo. At sæpe excusabitur, si appertè dicat duntaxat pœnitenti: Fac pro hoc, & prioribus

peccatis pœnitentiam prius injunctam. Idem docent alii citatis, Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. num. 24. qui num. 25. addunt non deesse Auctores autumantes, posse Confessarium abstinere ab impositione satisfactionis, quando prævidet, pœnitentem non esse eam accepturam, vel facturam; sed hoc reprobatur ob multas rationes idem Collegium Salmanticense d. num. 25. ubi alios DD. ita sentientes cumulat; & nos docuimus supra Decis. XXX. d. num. 6. & seqq. in qua ostendimus, pœnitentem obedire debere Sacerdoti in satisfactione ei injungenda, aliàs inabsolutum esse dimittendum.

Quo ad Tertium, Ad sciendum, Qualis, & Quanta satisfactio sit Pœnitenti imponenda, præmittere oportet id, quod scribit Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 22. num. 108. scilicet, de facto non dari determinatam Regulam, seu legem, cui debeat se conformare Sacerdos impositurus satisfactiones, nam Canones Pœnitentiales positi in fine Decreti Gratiani non sunt pro foro interno, sed pro externo, nempe pro illis, qui in judicio convincuntur de aliquo illorum delictorum & licet olim magis rigorosæ essent satisfactiones, hodie per exiguam imponuntur, vel ob refrigerentem charitatem orbis Christiani, vel ob frequentem usum Indulgentiarum; ideoque regula in hoc sequenda est dictamen prudentis Confessarii, qui pendere debet peccata, contritionem, dispositionem, qualitates, ætatem, vires, & statum pœnitentis; itaut, quantum fieri potest, carnalibus imponat jejunia, & macerationes: superbis orationes, aliosque actus humilitatis; avaris elemosynam, & sic de aliis juxta id, quod ait Sap. 11. Per quæ quis peccaverit, per hæc & punietur, & quod præcepit Concilium Tridentinum d. sess. 14. cap. 8. in illis verbis: Debent pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutaris, & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis commoveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Hinc est, quod si Confessarii absque legitima causa pro magnis peccatis levem pœnitentiam imponant, peccent mortaliter. Idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 22. num. 122. & Eminentis Cardin. de Lugo disp. 25. de Sacram. Pœnitent. sect. 4. num. 56. Quem refert Diana Coordinatus 1. tract. 6. resol. 8. & 9. quæ in veteri sunt part. 6. tract. 7. resol. 5. & part. 9. tract. 9. resol. 55. aliàs 54. & ibi alii DD.

Cæterum concedunt tam Theologi Scholastici, quam Moralistæ circa qualitatem pœnitentiæ, ac Sacramentalis satisfactionis, quod possunt injungi tam actus interni, puta pia meditatio de præsentia Dei, omnes actiones nostras intuentis, de morte certissime eventura; de judicio Dei, quod effugi non potest; de peccatorum foeditate, ac gravitate; de passione Domini; de actu doloris eliciendo; ac de renovando proposito non amplius peccandi, ac similibus; quam actus externi, qui, ut dictum est, rediguntur ad tria illa genera, Orationem, Jejunium, ac Elemosynam. Eminentiss. Cardin. de Lugo disput. 26. sect. 4. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. num. 27. qui circa hæc tria faciunt sequentes observationes à Confessariis non ignorandas.

Primo, quod possunt imponi opera quamvis aliàs debita ex præcepto, ut auditio Missæ die festo jejunium in Quadragesima, Suarez disput. 38. sect. 6. Bulembaum libr. 6. tract. 4. de Pœnit.

cap. 1. dub. 4. de Satisfactione. Sed tunc Confessarius id abique causa facere non debet, & ubi cognosceret sic expedire, teneretur hoc pœnitenti exprimere; prout etiam si ei imponeret, ut singulis Dominicis audiat duo Sacra, vel singulis diebus unum Sacrum; ad hoc ut pœnitens sciat, per adimplementum illius pœnitentiæ se satisfacere etiam præcepto Ecclesiæ; alias deberet auditionem Sacri in diebus festis reiterare, & jejunium extra dies ad ipsum obligantes, assumere. Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 14. num. 6. Bonacina disp. 5. quest. 5. sect. 3. punct. 2. num. 12. iidem Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. num. 28. & seqq.

11. Secundò: Quod si in juncta sit elemosyna, pœnitens non satisfaciet dando ea, quæ debet restituere ob incertorum ablationem; neque si daret elemosynam fratribus suis, vel avis, vel parentibus ea indigentibus, quia cum de jure teneatur eis subvenire, non erit illa datio elemosyna, sed solutio debiti legalis, Sordus de Alimentis tit. 7. quest. 37. secus si sint consanguinei in remotiori gradu, quibus de jure non teneatur alimenta præstare. Molina libr. 2. de Primogen. cap. 15. à num. 37. Satisfaceret autem pœnitentiæ, si daret elemosynam extremè indigenti, nam licet hoc casu quilibet sit obligatus eam dare, non censetur exclusus in satisfactione Sacramentali, quia est vera elemosyna, Layman libr. 5. tract. 6. cap. 15. num. 10. Candidus Disquisit. 24. art. 31. dub. 12. Diana part. 3. tract. 6. resol. 86. Quæ in Coordinato est tom. 1. tract. 6. resol. 50.

12. Tertiò: Quod licet possit Confessarius imponere pro satisfactione opus alternativum; nempe vel jejunium, vel elemosynam ad arbitrium pœnitentis eligendum: tamen non potest relinquere arbitrio pœnitentis ejusdem totam pœnitentiam, id est jejuna, si vis; Fac Elemosynam, si tibi placet. S. Thomas Quodlibet. 3. art. 23. Turrianus disp. 35. dub. 2.

13. Quartò: Poterit Confessarius injungere cessationem ab operibus bonis, si ita viderit expedire utilitati spirituali ipsius pœnitentis, ad ejus voluntatem mortificandam, vel in virtute obedientiæ exercendam; ut ne jejundet, ne tali die communicet; ne ad talem Ecclesiam accedat. Rodriguez in Summa part. 1. cap. 65. Molina de Instruct. Sacerd. tract. 7. §. 4. cap. 5. Eminentiss. Cardin. de Lugo disp. 25. num. 65. Et de his habentur exempla Sancti Philippi Neri, qui Antonium Gallonium devotissimum Laicum abstinere fecit per plures menses à Synaxi Sacra, ut in ejus vita libr. 2. cap. 19. num. 17. Alium autem Laicum suæ Congregationis, cui prohibuerat, ne in Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe ingrederetur ad orandum, Deipara eidem S. Philippo Nerio ostendit in spiritu transgredientem fuisse; quem propterea domum reversum redarguit.

14. Quintò: Quod licitum est injungere pro pœnitentia preces recitandas, vel alia bona opera facienda pro Animabus Purgatorii; siquidem est elemosyna spiritualis, cujus executio ex opere operato, & virtute Sacramenti valet ad deletionem culpæ, & pœnæ debita ab ipso Pœnitente, ultra suffragium, quod recipiunt animæ Purgatorii ex opere operantis; ut docent Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 25. n. 62. Averfa. Quest. 11. sect. 4. Turrianus disp. 37. de Pœnit. dub. 4. & alii apud Collegium Salmanticen. d. tract. 6. cap. 10. num. 37.

15. Sextò: Quod aliquando expedit injungere Satisfactiones conditionales de futuro; nempe si iterum (exempli gratia) blasphemaveris, vel perjurabis,

aut aleis luseris, facito tantam elemosynam, vel jejunes; multum enim valent ad emendationem peccati, & ad coercendam pravam consuetudinem. Henriquez lib. 5. cap. 21. Suarez disp. 38. sect. 38. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 15. num. 11. & 12. ubi addit, proficuum valde fore etiam injungere reiterationem frequentem Sacramentalis Confessionis.

Septimò tandem, (quod est notatu dignissimum) omnes DD. in hoc convenire; si peccata sint secreta, non esse cogendum pœnitentem ad publicam pœnitentiam recipiendam. Si autem peccata publica sint, & cum aliorum scandalo facta, non modò licitè sed aliquando etiam necessariò, si scilicet ab his scandalum non cessaret, pœnitentias publicas esse injungendas, ut ea ratione scandalum emendetur. Ita D. Thomas in 4. dist. 17. quest. 3. art. 4. questum. 4. ad 4. Paludanus, Durandus, Medina, quos citat, & sequitur Coninchus dub. 8. Suarez, Valquez, Henriquez, Bonacina & alii apud Castropalaum tract. 23. disp. Unica punct. 20. §. 3. num. 5. Averfa sect. 3. & alii, quibus adherent Salmanticenses eod. tract. 6. cap. 10. num. 39. per text. in cap. 1. De Pœnit. & Remiss. & per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 8. de Ref. præcipiens remitti in usum publicas pœnitentias, quod loqui non solum de foro judiciali publico; sed etiam de Sacramentali, & secreto, optimè expendant Coninch. d. dub. 8. & Palaus d. num. 5. contra Navarrum id hegantem. Ratio est, quia ut pœnitens licitè absolvetur, debet ei injungi omnis illa satisfactio, ad quam jure naturæ tenetur; atqui naturaliter pœnitens tenetur exhibere omnem eam satisfactionem, quæ necessaria est, ut scandalum omne tollatur. Ergo quoties an hoc necessaria est publica pœnitentia, ea ipsi debet injungi. Neque obstat, quod frangatur sigillum per illam; tum quia præcedente scandalo peccatum erat notorium; tum etiam quia concurret consensus pœnitentis ad absolutionem obtinendam, sicut eidem imponitur onus postulandi veniam ab offensis absque ulla sigilli violatione. Scandalo autem cessante à publicis pœnitentiis injungendis est abstinentum, quia nostris temporibus sunt curationes duræ, ac valde periculosa; ut ajunt iidem Salmanticenses d. num. 39.

Quo verò ad quantitatem Pœnitentiæ, quia sæpe sapius pœnitentes evomunt peccata multa, ac enormia; & præteritis satisfactiones satis numerosas, ac ponderosas non adimpleverunt; unde pii Confessarii angustiantur, nescientes quid sint imposituri: si enim multa injungunt, non deducuntur ad effectum; si levia videntur peccatis conivere; placet hic referre doctrinam expertissimi Gobati, qui in cit. Theologiæ Experimentalis tract. 7. num. 758. quærens, Quas ob causas sit minor Pœnitentia injungenda, quam mereantur peccata confessæ: Has omnes sequentes adducit. Quando 1. Confessarius credit, pœnitentem ob fragilitatem non esse impleturum justam cæteroquin pœnitentiam. 2. Quando minuendo pœnitentiam allicitur Pœnitens ad frequentiores, utilemque confessionem. 3. Quando intervenit difficultas infirmitatis, sed tunc infirmis præcipiendum est, quod si convalescerint, præter modicam præsentem satisfactionem, aliam majorem faciant. 4. Quando pœnitens re ipsa est valde contritus & compunctus. 5. Quando Confessarius noverit, pœnitentiam ex se ipso solere præstare multa bona opera. 6. Quando scit eum subindè esse lu-

oratu-

eratorum Indulgentiam parem suis peccatis. 7. Quando in absolutione addit ea verba: *Et quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris*, intendens includere in Sacramentali satisfactione omne opus, quod pœnitens deinde fecerit; & omne malum, quod patienter sustinuerit; ita ut utrumque ad tantam excellentiam eleveatur, ut ex opere operato pro sit ad delendas pœnas; ut vult Navarrus in cap. *Falsas*, num. 11. de Pœnitent. dist. 5. & alii apud Dianam part. 10. tract. 16. resol. 1. Quæ in Coordinato est tom. 1. tract. 6. resol. 10. monentem, ne à Confessariis facile omittantur dicta verba *Quidquid boni feceris, &c.* Porro dissentit ab hac doctrina Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 56. & cum ipso alii relati ab eodem Diana Coordinato d. tom. 1. tract. 6. resol. 8. & 9. asserentes, dicta verba esse simplicem deprecationem, prout sunt illa *Miseretur tui, &c. Indulgentiam, &c.* Octava, & ultima causa injungendæ levissimæ pœnitentiæ pro multis peccatis est, si ipse Confessarius paratus sit expiare in suo corpore peccata pœnitentis; per diras flagellationes, ac jejunia, quod nullum Parochum reperi fecisse, nisi Sanctum Franciscum Xaverium, qui in itinere Lusitaniam versus, militem jam octodecim annos inconfessum, dulcissima sua charitate, peccata ad ejus pedes evomere suasit, pro quibus nil aliud imperavit dicere, nisi *Pater, & Ave*; at ipse Sanctus extra viam progressus denudatos humeros suos crudeli flagellatione diu percussit, ut narrat in ejus vita P. Bartoli lib. 2. num. 44. & repetit idem Gobatus d. tract. 7. num. 763. referens harum causarum auctores, inter quos Bonacinam de Pœnitent. disp. 5. quest. 5. §. 3. punct. 2. num. 18. Quibus addendi sunt Suarez disp. 38. sect. 10. Navarrus in Man. cap. 16. num. 21. Toletus lib. 3. cap. 11. & Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. à num. 44. usque ad 47. ubi prudenter advertunt; quod quando Confessarius minuit satisfactionem ex aliqua supradictarum causarum, debet monere Pœnitentem, ut sciat, pœnitentiam non esse commensuratum suis peccatis; & ideo remanere obligatum, ad bona opera, vel pœnalitates, aut Indulgentias sponte assumendas pro complemento debitæ satisfactionis.

Quo ad Quartum; in quo exquiritur, *Quo tempore, & in quo statu à Pœnitente sit exequenda Pœnitentia Sacramentalis?* duo sunt in eodem questione collecta, *Tempus & Status* pœnitentis. Circa tempus omnes DD. conveniunt, quod quando tempus præstitutum est à Confessario, tenetur pœnitens eam implere intra illud tempus; ut si dixerit *in toto currenti mense jejuna sextis feriis*; vel ordinaverit ita: *singulis diebus recita Litanias Deiparæ*; adeo ut si pœnitens omiserit intra hoc tempus exequi opera præscripta, peccet mortaliter; nisi opus omissum sit leve, vel brevis dilatio, & interruptio, vel causa aliqua legitima eum excuset arbitrio prudentis viri, attentis circumstantiis rerum, personarum, & occasionum. Palaut d. tract. 23. disp. Unica, punct. 21. §. 4. num. 12. Bonacina disp. 5. quest. 5. sect. 3. punct. 4. num. 6. Salmanticenses, alios allegantes d. tract. 6. cap. 10. num. 63. nec non Gobatus d. tract. 7. num. 766. iniquis, attendendam esse intentionem Confessarii, & subdens: *Si nactus es rigidum, cave tibi, & time; si benignum, cave etiam, sed ne facile timeas noxam lethalem.* His consentit Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 268. reddens rationem Doct. Cleric. Tom. I. Lib. IV.

nem, quia Sacerdos in partem pœnitentiæ videtur alligare tempus, exigens obedientiam à pœnitente, qui acceptans, manet ligatus ad opus, & ad tempus; ideoque sicut mutans opus non obediret, ita mutans tempus, quod ingreditur ligamen jam factum. At si Confessarius nullum præscribit tempus, discordant DD. circa dilationem pœnitentiæ; nam eam posse differri per integrum annum plures docent apud Dianam part. 2. tract. 15. resol. 53. in fine: & part. 5. tract. 5. resol. 15. nec non part. 10. tract. 12. resol. 52. Quæ in Coordinato sunt tom. 1. tract. 6. resol. 44. resol. 45. & resol. 46. Displicet autem hæc dilatio Averia quest. 13. sect. 6. & Tamburino de Expedit. Confess. lib. 4. cap. 2. §. 2. n. 9. quia est gravis inobedientia, frustrans, ut plurimum, fructum pœnitentiæ, quæ solet etiam medicinaliter dari ad impedienda peccata in futurum; qua propter pendet decisio ab arbitrio boni viri, & à circumstantiis; nam si ex sola desidia, vel negligentia sit dilata, erit quidem mortale; secus si ex aliquo iusto impedimento. Gobatus d. tract. 7. num. 766. & Salmanticenses d. cap. 10. num. 65. admonentes, quod licet pœnitentia, puta jejunium, sit affixa certo diei; si eo transacto non jejunavit, tenetur jejunare, ac supplere; quamvis contrarium practicetur in jejuniis de Præcepto. Ita Suarez disp. 38. sect. 7. num. 6. Bonacina d. disp. 5. quest. 5. sect. 3. punct. 4. & alii. Ratio est, nam Ecclesia in diebus jejunii de præcepto decernit illum diem pro jejunio; sed Confessarius præcipit jejunium eo die ad satisfaciendum pro peccatis; & sic remanet obligatio satisfaciendi etiam eo die transacto, si fuit omissum jejunium. Tandem quod dicitur de tempore, cui alligata est satisfactio imposita Pœnitenti per Confessarium, idem intelligitur de aliis circumstantiis, concomitantibus ex præcepto Confessarii eandem satisfactionem; puta recitandi Rosarium genibus flexis, vel in tali Ecclesia, vel coram Imagine Deiparæ, vel ante prandium; & ideo eas omitrens non satisfacit, nisi excuset levitas circumstantiæ; quando enim est gravis, transit in substantiam operis injuncti. Eminentiss. Card. de Lugo disp. 25. num. 9. Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 272. iidem Salmanticenses d. cap. 10. num. 68.

Circa verò statum, in quo Pœnitens esse debet, dum adimplet Pœnitentiam, variae sunt DD. opinioniones. Alii dicunt, quod si non est in gratia, & relapsus est in mortale, eam adimplendo peccat mortaliter, non satisfacit, & tenetur illam repetere, DD. apud Barbosam in Collect. ad Concilium Trid. sess. 13. cap. 8. num. 6. Alii volunt, peccare tantum venialiter ob irreverentiam erga Sacramentum, cujus pars est ipsa satisfactio, quam extra statum gratiæ exequitur, sed satisfacere; nec teneri ad eam repetendam, Diana DD. cumulans part. 4. tract. 4. resol. 241. Quæ in Coordinato est tom. 1. tract. 6. resol. 37. Alii docent, neque venialiter peccare satisfaciendem suæ pœnitentiæ in statu peccati mortalis, sed per illam non consequi augmentum gratiæ, attento obice, quod ponit; sed solummodo obtinere remissionem pœnæ temporalis; ea ratione quia si inimicus Principi solvat eidem, quod debet, valet solutio, & deletur debitum, pro quo solvit. Ita Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 178. & ante illum Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disput. 25. sect. 3. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. n. 70. nec non Gobatus d. tract. 7. n. 770. qui num. 772.

T

hæc

hæc adjungit: liber eris onere recitandorum trium Rosariorum, injunctorum tibi à tuo Confessario, si illa recites ex mera devotione: aut idem quod sis membrum Confraternitatis Rosarii; esto, dum evolvis globos Virgineos, expresse dicas: volo hoc psalterium hodie recitare, quia sum sodalis Congregationis. Nam executio operis satisfacit etiam sine intentione satisfaciendi. Secundus autem si illud opus exequaris tanquam debitum ex Voto. Gobatus *ibid.* num. 773. Et idem si aliàs de Præcepto, ut antea scripserat num. 748. & 749.

22 Quo ad Ultimum: Quærenti An satisfactio per Confessarium injuncta possit commutari? & à quo? In primis est advertendum inter ceteras Propositiones damnatas ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. hanc num. 28. reperiri: Pœnitens propria auctoritate substituere alium potest, qui loco ipsius Pœnitentiam adimpleat. Ergo ipse Pœnitens non potest aliquam mutationem circa sibi injunctam pœnitentiam facere, sive ratione impotentia, sive ratione impotentia, sive ratione melioris boni, sive etiam gravioris pœnæ; non enim habet auctoritatem in Claves Ecclesiæ; & acceptando pœnitentiam à Confessario, contractum fecit cum illo, à quo non potest rescire; operaque alia non essent pars Sacramenti, nec satisfacerent ex opere operato; ut rectè dissertit Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 22. à num. 220. & seq. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 25. sect. 6. à num. 96. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. num. 76. & Gobatus d. tract. 7. num. 774. ubi ait cavendum à Diana contrarium innuente part. 11. tract. 7. resol. 3. Quæ in Coordinato reperitur tom. 1. tract. 6. resol. 31. Idem verò Confessarius ex causa potest eam commutare, non repetita Confessione, si de priori memoriam saltem in confuso habeat. Gobatus *ibid.* num. 775. Non etiam alter, seu diversus Confessarius, nisi coram eodem priorem Confessionem pœnitens faciat, & justam causam alleget commutandæ pœnitentiæ; tunc enim poterit eam commutare. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 25. sect. ult. Gobatus d. tract. 7. num. 776. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 22. §. 3. à num. 248. ubi num. 252. rectè advertit, excipendum esse, si prior pœnitentia fuisset injuncta pro reservatis; secundus autem Confessarius non haberet auctoritatem absolvendi ab illis, nam tunc ex defectu jurisdictionis neque priorem satisfactionem posset commutare. Quare cavendum est à DD. dicentibus, quemcumque alium Confessarium, etiam non audita præcedenti Confessione posse pœnitentiam commutare, quos cumulat Diana part. 2. tract. 15. resol. 53. existente in Coordinato tom. 1. tract. 6. resol. 25. & præcipue ab aliis, qui extendunt hanc facultatem, ubi prior pœnitentia injuncta fuisset pro reservatis; quibus videntur adhærere Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. num. 73. Sed minus probabiliter, & in hoc minimè admittendi, prout nec in illa assertionem, quod diversus Confessarius possit commutare, non audita præcedenti Confessione; quam opinionem proscribit etiam Palæus d. tract. 23. disp. Univ. §. ultim. num. 13. & ex antiquis Sotus in 4. dist. 20. quest. 2. art. 3. in fine, & Sylvest. Verb. Confessor. 1. quest. 27.

Tandem notandæ sunt duæ causæ excusantes ab adimplimento Pœnitentiæ. Una est impotentia Physica; ut si pœnitens deberet jejunare, vel dare elemosynam, & esset oppressus infirmitate,

te, vel paupertate; at hac causa cessante, teneretur illam adimplere. Averfa quest. 13. sect. 6. Salmanticenses d. cap. 10. num. 81. Altera est in casu impotentia moralis, ut si superior, vel Maritus prohibeat exequi peregrinationem, vel elemosynas. Palæus d. §. ult. num. 17. vel pœnitens sit omnino oblitus eandem pœnitentiam; idest crediderit, eam fecisse; nam sciens, non esse executum, & non recordans qualis fuerit, tenetur adire primum, vel alterum Confessarium, repetere præcedentem Confessionem, & obtinere novam satisfactionem. Bonacina de Pœnitent. disp. 5. quest. 5. sect. 3. punct. 3. num. 9.

DECISIO XXXV.

ARGUMENTUM.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est absolutio à peccatis, exactissime explicatur. Plures quæstiones curiosæ, ac utiles circa illam resolvuntur. Quomodo peccata aliàs confessa, & dimissa in nova Confessione iterum dimittantur, subtiliter examinatur, ac ostenditur. Mutatio formæ hujus Sacramenti an licite, & validè fieri possit? An liceat absolvere a peccatis sub conditione? Bulla Clementis Papæ VIII. de confitente per litteras, & absente non absolvendo, interpretata, ac declarata.

SUMMARIUM.

- 1 Forma Sacramenti Pœnitentiæ quanam sit?
- 2 An proferri possit nutibus, signis, vel scriptura?
- 3 Verba, In Nomine Patris, &c. an sint de ejus essentia?
- 4 Verba, Misereatur, &c. ac alia preces ante, & post formam absolutionis an possint omitti?
- 5 Censurarum absolutio in Confessionibus an omitti possit?
- 6 Crucis signum faciendum in absolutione à peccatis.
- 7 Forma absolutionis Sacramentalis sensus, & effectus.
- 8 Peccata jam confessa, & dimissa quomodo iterum dimittantur in nova Confessione?
- 9 Sententia plures super eodem delicto pronunciari possunt.
- 10 Cecilianus Episcopus Carthaginis, & S. Athanasius pluries absoluti à calumniis hereticorum.
- 11 Mutatio Verborum Formæ Sacramenti Pœnitentiæ an licite, & validè fieri possit?
- 12 Absolutio Sacramentalis sub conditione an valida?
- 13 Absenti absolutio Sacramentalis an possit impertiri? & num. 17.
- 14 Clementis VIII. prohibitio de absente Sacramentaliter non absolvendo.
- 15 Bulla Clementis VIII. an conjunctivè, vel disjunctivè, intelligenda?
- 16 Absolutio dari potest pœnitenti præsentem à peccatis per litteram manifestatis.
- 17 Casus duo curiosi circa absolutionem non datam ex oblivione.
- 18 Moralis presentia sufficit ad absolvendum pœnitentem.
- 19 Absolutio à Censuris etiam absenti datur.

IN